



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum I. Decretalium, Per quadraginta, & tres Titulos distributum, in
quo agitur De Constitutionibus, Seu Legibus universim ...

Krimer, Ferdinand

Augustæ Vindelicorum, 1706

§. II. De proprio Episcopo ratione domicilij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73031)

centia, ab alio; sic sacra Congregatio apud Piafecium *in praxip.* 1. c. a. 2. Not. 3. *vagos* ordinandos esse ab Episcopo suæ, vel paternæ originis, si etiam Pater tempore natiuitatis ipsorum vagus fuit; si non possit constare de Patris origine (ut si & hujus parens tunc, quando iste natus est, vagus fuit) illi Episcopo censentur vagi tunc subjecti, in cuius diocesi petunt Ordines; sic Tiberius *in instruct. ordinand.* c. 7. q. 47. Not. 4. Libertos, seu libertinos ordinari posse ab Episcopo, vel suæ propriæ originis, vel ab Episcopo originis suorum Patronorum, cum sequantur eorum, & non Patris originem, ut dicitur *cit. L. assumptio*, & tradit Barbofa *cit. nu.* 18. & 36.

§. II.

De proprio Episcopo ratione domicilij.

2135. **E** piscopus proprius *ratione domicilij* est, in cuius diocesi aliquis sedem fixit animo ibi perpetuò manendi, nisi quid avocet, licet alibi natus sit, *L. Cives Cod. de incolis, junct. gloss. v. Laicum.* Nam domicilium animò, & factò contrahitur, *L. domicilium, ff. ad municip. junct. gloss. v. factò.* Cæterum juxta novissimam constitutionem Innocentij XI. *§. subditus autem*, de qua à *num.* 2124. ad effectum recipiendi Ordines, ille tantum censi debet *subditus domicilij*, qui, licet alibi natus sit, tamen adeò stabiliter in aliquo loco illud constituit, ut vel per decennium in eo habitando; vel duplo majorem rerum suarum partem cum instructis ædibus, in illum locum transfereudo, ibique per aliquod considerabile tempus commorando, animum suum ibidem perpetuò commorandi demonstraverit, & jurejurando affirmet, se verè ac realiter, talem animum habere, idque in utroque casu; ut exposuimus *supr. num.* 2126.

2136. Not. autem 1. quòd filius, manens cum Patre, sortiatur domicilium Patris, si alibi domicilium, seu sedem non figat; cum etiam filiusfamilias *pubes*, domicilium sibi constituere possit, *L. Placet, 3. cum seq. ff. ad municip.* Not. 2. quòd filius non amittat domicilium Patris, discedendo ab isto, si retineat animum,

ad illum redeundi. Navarr. *lib. 1. Consil. 3. h. t.* Not. 3. non amitti domicilium *originis* per hoc, quòd quis alibi constituat sibi domicilium *habitationis*. Illud enim est immutabile, ac renuntiari non potest, *L. assumptio, cit. ff. ad municip. & L. origine, C. de municip.* Not. 4. ut quis mutet domicilium, non requiri licentiam Episcopi. *c. fin. de Paroch. & Abbas ibid. nu. 1.*

§. III.

De proprio Episcopo ratione Beneficij.

E piscopus proprius *ratione beneficij*, 2137. in ordine ad effectum ordinationis activæ, & passivæ, dicitur, in cuius diocesi aliquis obtinet beneficium Ecclesiasticum, esto alibi habeat originem, vel domicilium. Dixi 1. beneficium *Ecclesiasticum*; quo nomine non venit prebenda temporalis, nec Capellania non collativa, etiam perpetua, nec etiam beneficium alicui concessum in commendam temporalem; sic Barbofa *cit. alleg.* 4. *num.* 50. nec beneficium *exemptum* ab omni jurisdictione Episcopi; quia sic ratione illius Episcopo subijci non potest; nec etiam pensio Ecclesiastica, *gloss. in c. 3. h. t. in 6. v. Ecclesiasticum*; excipe, nisi talis pensio constituta alicui sit in titulum beneficij, Vicariæ perpetuæ, vel commendæ; sic Layman *lib. tr. 2. cap. 18.* excipe 2. nisi beneficium sit ei concessum in commendam perpetuam, & utilitatem Commendatarij; sic Barbol. *loc. cit.*

Venit autem hoc loco nomine *beneficij*, 2138. vi cuius quis ad Ordines *subijcitur* Episcopo, etiam beneficium *manuale*; Rebuff. *in praxi benefic. tit. de Clericis, & à quibus, nu. 2.* secundo beneficium non exigens residentiam; Pirhing *hic num.* 34. tertio, esto illius beneficij præsentatio, institutio, vel collatio ad alium pertineat, modò quoad jura Episcopalia Episcopo, ejus titulo aliquem ordinanti, subjectum sit. Sic Barbofa *cit. nu. 52.* Addunt aliqui, etiamsi beneficium illud sit tenue, nec sufficiens ad congruam vitæ sustentationem; sic Barbofa *cit. nu. 44.* sed hoc non amplius procedit propter *cit. constitut.* Innocentij XI. ubi *§. licet verò*, decernit,